



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D. Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas Missalis Et Breviarii Romani**

Adjectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad  
præsens emanatis

Complectens omnia Gavanti Commentaria in Rubricas Breviarii - Cum  
Indicibus Decretorum, Rerum atque Verborum notabilium

**Merati, Gaetano Maria**

**Augustæ Vindellicorum, 1740**

**VD18 10783695-002**

Appendix Aliorum Decretorum, quorum notitia ad nos pervenit postquàm  
coordinatus erat superior Index, & quorum aliqua spectant ad Rubricas  
Missalis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39775**

An Sancti, de quibus in toto Anni decursu celebrari Officium non potuit, transferendi sint ad annum sequentem, vel potius eo anno sint omittendi? Sac. Rit. Congregatio in hærendo alteri resolutioni in similibus datæ ad instantiam Reverendissimi Archiepiscopi Hispaleu. sub die 26. Novembris 1735. rescribendum censuit: Sanctos, qui in fine anni supersunt, non esse ad annum sequentem transferendos, sed quoties toto anni decursu

de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis considerandos esse tanquam Simples: faciendo illorum Commemorationem, ut fit in Simplicibus cum nona Lectione ad Matutinum composita ex omnibus eorum Lectionibus propriis secundi Nocturni ad modum unius: Et ita declaravit, die 8. Martii 1738.

Hoc Decretum est conforme Decretis positis sub nn. 282. 337.

## A P P E N D I X

Aliorum Decretorum, quorum notitia ad nos pervenit postquam coordinatus erat superior Index, & quorum aliqua spectant ad Rubricas Missalis.

342 **C**um ex Privilegio Apostolico Religio Servorum B. M. V. possit, & valeat recitare Officium Sanctissimi Sacramenti qualibet Feria V. & illud B. Virginis qualibet die Sabbati sub Ritu Semiduplici, dummodo dicti dies non sint impediti Officio novem Lectionum, & exceptis Adventu, Quadragesima, & Vigiliis: Et cum multoties eveniat, quod sit remittendum Officium alterius Sancti, aliis de causis translatum; ideo Rector, & Patres Montis Senarii in Etruria ejusdem Ordinis, ad tollenda multorum dubia supplicarunt S. R. C. pro declaratione: an dictis diebus dicendum sit Officium translatum, vel potius Sanctissimi Sacramenti, & B. Virginis ex dicto Privilegio, prout hætenus consueverunt? Et eadem S. R. C. respondit: translatum ulterius protrahi, & Officium fieri juxta Privilegium, stante præsertim laudabili Consuetudine &c. Ita S. R. C. die 22. Nov. 1664. in una Etruria.

343 De Patrono, seu Titulari Ecclesie debet fieri Officium sub Ritu Duplici primæ Classis cum Octava à Clero eidem adscripto, etiam si Ecclesia non fuerit consecrata, sed tantum benedicta. S. R. C. 21. Junii 1710. in una Cappuccinorum Provincia Lugdunen.

344 Si contingat fieri Officium de Festo Semiduplici in Vigilia Omnium Sanctorum, non obstante Commemoratione Vigiliæ debent in Laudibus fieri Suffragia Communia: In Missa tamen debet dici Oratio: *A cunctis &c.* Ita S. R. C. 21. Junii 1710. in eadem Cappuccinorum.

345 Non debet cantari, neque celebrari Missa in Altari ubi est expositum Sanctissimum Sacramentum, nisi sit pro eo reponendo; at si ex necessitate fieri opus esset, populus benedicendus est more consueto, & non cum Sanctissimo Sacramento. S. R. C. 13. Junii 1671. Angolopolitana.



346 Festum S. Benedicti, quoties incidit in aliquam diem majoris Hebdomadae, ab omnibus utriusque sexus sub Regula S. Benedicti militantibus, transferendum est tam quoad Forum, quam quoad Chorum, (ut dictum est in Decreto allegato supra in Indice, emanato die 23. Januarii 1727.) Unde memorata FERIA III. in tali eventu intelligitur dies propria praedicti Festi, adeoque in ea Officium S. Benedicti à dictis Monachis & Monialibus recitandum est, non obstante occurrence aliterius Officii, seu Festi Ritus inferioris, imò etiam aequalis.

Inhærendo autem Privilegiis concessis à Clemente IX. & X. Venerabili Benedictinae Religioni, certissimum est, quòd in praedicto casu transfertur hoc Festum cum tota sua Octava; imò & cum Indulgentia &c. ex concessione Innocentii Papæ XI. prout apparet in Diplomate Apostolico edito 26. Sept. 1679.

Si tamen hoc Festum incidat in Dominicam Passionis, transfertur tunc quoad Officium tantum infra suam Octavam in primam diem non impeditam ab alio Festo, & postea sequitur Octava celebranda à praedictis Monachis, & Monialibus eo Ordine, quem nos indicavimus in nostris observationibus ad cap. 8. Sect. 3. n. XVI. & sic Octava protrahitur usque ad Nonam Sabbati ante Dominicam Palmarum inclusivè, ita ut Vesperæ ejusdem Sabbati sint de Dominica sine ulla Commemoratione Octavæ, quæ desinit ad Nonam.

Si autem occurrat hoc Festum in Sabbato ante Dominicam Passionis, tunc celebratur cum tota Octava, sed in eadem Dominica Passionis nulla fit Commemoratio ejusdem Octavæ, ut liquet ex Decreto dato supra à nobis sub num. 315. in *Einfallen*. Et tunc dies Octava occurrit in Sabbato Palmarum, in quo fiet utique de ipsa Octava usque ad Completorium inclusivè, & in secundis Vesperis Octava fiet Commemoratio Dominicæ Palmarum sequentis.

Denique si hoc Festum celebretur in Dominica IV. Quadragesimæ, ita ut dies Octava incidat in Dominicam Passionis, tunc propter dictam Dominicam privilegiatam, ut declaratum fuit in dicto Decreto, cessat Octava ad Nonam Sabbati praecedentis, & nulla fit Commemoratio dictæ Octavæ, neque in Vesperis Sabbati, quæ erunt de FERIA, & à Capitulo de dicta Dominica, neque in eadem Dominica Passionis, quæ ita considerari debet à praedictis Monachis, ac si esset FERIA IV. Cinerum, quæ occurrit aliquando infra Octavam S. Scholasticæ.

Ad dirigendam Missam, & Officium pro dicta Octava, vide ea, quæ exhibentur in Decreto, quod habetur in Indice Decretorum spectantium ad Rubricas Missalis sub n. 687. in cujus initio potest addi, quòd in Missis de FERIA, in quibus fit Commemoratio Octavæ Conceptionis B. Virginis, debet dici ejusdem Praefatio.

F I N I S.



INDEX